

minatio, ut in maxima tentatione, et presenti suavi que delinquendi occasione, nemo deliquerit tot virorum, alioqui temerariorum, quales plerumque sunt milites; et quomodo nos non coeret gehennæ comminatio, ne manum ad peccandum et sæculi voluptates extendamus? Jonas propheta ad Niniven trium dierum civitatem a Deo missus et clamare jussus: *Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur, cepit intrare in civitatem itinere diei unius et clamare; et statim: Pervenit verbum ejus ad regem et crediderunt viri Ninivite in Deum, et predicaverunt jejunium, et vestiti sunt sacco a majore usque ad minorem.* Jon. III. Ecce tanta civitas prophetæ comminationes terretur et agit penitentiam: quomodo non arguit nos Spiritus sanctus si post istas multo graviores comminationes adhuc peccatis indormimus? Sed fortasse non credimus comminationibus Christi? Propterea: *Viri Ninivite, inquit Dominus, Matth. XII. surgent in judicio cum generatione hac (nobiscum) et condemnabunt eam, quia penitentiam egerunt in predicatione Jonæ, et ecce plusquam Jonas hic.* Sed quis vidit inferni ignem? Dicet aliquis: Quis inde ad nos remeavit ut vera hæc esse renuntiaret? O stultam questionem! Propterea enim lacus inferni tanto magis extimescendus est, quod nemo inveniatur, qui emergere ex illo potuerit. Si enim aliqui emergerent, sperarent etiam alii inde se reversuros. Nunc autem cum nullus redeat, argumentum est lacum illum tam profundum esse et portas ejus adeo obseratas, ut inde se subtrahere impossibile sit. Doceat nos in hæc re fabula illa de vulpe, quæ invitata ad specum leonis, cum vidisset plurima ingressorum animalium vestigia, nulla vero reversorum, recusavit ingredi dicens: *Quia me vestigia terrent, omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.* Quinetiam non pauci ad vitam revocati, horribilia de inferno nuntiarunt, et vera esse declamarunt arctissima sua vita, quam post ejusmodi revocationem tenuerunt, ut scribunt S. Gregorius, Joannes Climacus et alii. Et ut ista non essent, non sufficiat nobis Christum ea de re tanta dixisse? Qui videbat quæ in celo fiebant, non potuit videre quæ in inferno? Annon ipse dixit: *Videbam Satanam sicut fulgur de celo cadentem?* Luc. X. Denique, si teste Arist. I. II. de anima, sect. CLIV. sola opinio mali imminetis sufficit ad timorem generandum: non sufficiat nobis fidei certitudo tam multipliciter comprobata in re summi momenti? Si audiremus ante portas civitatis esse terribilem leonem, quis egredi tentaret, licet facile fieri posset, ut a leone non videretur? Arguit igitur et meritisimo arguit nos Spiritus sanctus, si tam nervosis vinculis non trahimur ad peni-

tentiam, non allicimur ad virtutem. Atque utinam arguentem audiamus; quia hic arguit ad salutem, monet instar Noe ut fabricemus nobis navem penitentiam, ut fugiamus ad arcem. Væ autem nobis si non audierimus: quia veniet aliquando judex, et arguet ad interitum; quod toties depreceatur David dicens: *Domine, ne in furore tuo arguas me.* Quis dubitat homines tempore Noe, quando jam viderunt diluvium invalescere, seipsos redarguisse ac dixisse: O Noe, o Noe quam fideliter nos monuisti! Quam vere nobis Noe et consolator eras! O si nunc adesses! Quam prompte, quam hilariter ad tuam nunc vellemus adnatare arcem! Quam miseri et cæci fuimus, qui decenti non credidimus! Hæc nos auditores crebro expendamus, ne in diluvium gehennæ improvidi incidamus.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Mors charorum nostro æquo animo ferenda. — II. Superior subditorum potius studeat commodis quam propriis. — III. Ecclesia et pastores ejus debent etiam arguere. — IV. Superiores condescendant inferioribus, fortiores debilioribus. — V. Veritas non nisi in catholica reperitur Ecclesia. — VI. Spiritus prophetiæ tantum in Ecclesia catholica.

THEMA.

Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Joann. XVI.

D. Augustinus, I. II. de doct. christ. asserit gentilium philosophorum asserta, dicta et facta, quando fidei nostræ accommodata et conformia sunt, non solum non formidanda aut fugienda esse, sed ab eis etiam tanquam ab injustis possessoribus in usum nostrum vindicanda. Idque probat exemplo Hebræorum, qui ex præcepto Dei stumpservunt ab Ægyptiis multo vasa et ornamenta de auro et argento, vestem quoque plurimam, Exod. XII. sibi retinenda ad meliorem usum. Ad eum enim modum posse nos de gentilium moribus, dictis et gestis ea nobis applicare ad meliorem usum, quæ ipsi ex rationis lumine prudenter et erudite scripserunt, dixerunt ac fecerunt. Ex gentilium igitur penu desumptum est, quod scribit Elianus, I. XIV. c. XXXIV. summum sacerdotem apud Ægyptios (qui et supremus eorum judex erat) gestasse collo appensam imaginem, saprophyro insculptam, cui nomen erat *erita*, quod ipsi existimarent nullam magis dotem præter istam convenire sacerdoti. Conformis est hic ritus illi Hebræorum, quorum summus sacerdos in rationali gestabat inscripta duo illa nomina: *Doctrina et veritas*, Exod. XXVIII. Nos

igitur hunc ritum nobis applicantes, dicimus Christum Dominum hujusmodi sacerdotem esse, qui in pectore suo gerat Spiritum sanctum ab ipso procedentem per armorem Patris reciprocum, cui nomen *veritas*, seu *Spiritus veritatis*, uti vocatur in hodierno evangelio a Christo. Et quoniam hic Spiritus loquitur in Ecclesia per os doctorum, non male etiam dixerim verbi Dei præcones gerere in pectore suo imaginem veritatis. Itaque auditores, non est quod metuatis ne in concione falsa vobis pro veris obtrudantur, aut erroneum quid proponatur. Non patitur hoc Christus in Ecclesia catholica, non fert Spiritus veritatis; cuius opera et afflatu depromemus nunc veritates, quas in hodierno evangelio deprehendimus.

I. Mors charorum nostrorum æquo et forti animo ferenda est, nec eo modo deplenda, quo modo mors infidelium. Docet hanc veritatem Christus in hodierno evangelio, cum videns suos discipulos ex prædicatione mortis suæ facte esse tristes asserit mortem suam professionem esse ad Patrem. Eandem confirmat apostolus 1. Thess. IV. dicens: *Non contristemini (de dormientibus) sicut et ceteri, qui spem non habent, etc.* Quia nimirum ut insinuat, mors Christianorum somnus potius est quam mors. Ubi non omnem omnino tristitiam prohiberi audimus; (hæc enim naturalis est), sed inordinatam et immoderatam. *Contristamur nos*, inquit S. August. ser. XXXII. de verb. apostoli, *in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi, inde tristamur, hinc consolamur.* Antonius Pius imperator mortem suam deferri noluit, quod diceret se vocari a diis non ad mortem sed ad vitam, Jul. Capitolino auctore. Verum inanis hæc illius persuasio et vana spes, hominis nimirum gentilis fuit. Verius multo nos Christiani dicimus vocari nos a Deo ad vitam immortalem ac beatam, cum hinc evocamur. Habet quidem mors amarorem sibi innatum, verum eum Christus mitigavit sua morte et resurrectionis spe, quomodo Moyses aquas amaras injecto ligno, quod dulcorandi vim habebat, dulces et potabiles reddidit, Exod. XV. Dulce hoc lignum et glycyrrhiza est spes beatæ vitæ. Quamquam et gentiles aliquos scimus mortem charissimorum forti et invicto tulisse animo. Sane illorum exemplo consolatur S. Hieronymus Heliodorum in Nepotiani nepotis morte. « Quid memorem Romanos duces? inquit. Pulvillus Capitolium dedicans, mortuum ut nuntiabatur subito filium, se jussit absente sepeliri: L. Paulus septem diebus inter duorum exequias filiorum triumphans urbem ingressus est. » (Etenim Paulo Emilio triumphanti filius unus quadriduo ante, alter triduo post trium-

phum expiravit), demum subjicit: *Hæc in suggestionem nostri breviter dicta sunt; si non præstet fides, quod exhibuit infidelitas.*

II. Subditorum magis commodis studere quam propriis debet, qui præest. Ita enim Dominus: *Expedi vobis*, inquit, *ut ego vadam.* Vobis inquit, non mihi, quia nimirum Spiritum sanctum missurus illis erat, Aristotele auctore, I. VIII. Pol. cap. X. hæc est differentia inter principem et tyrannum: *Tyrannus suum ipsius commodum spectat et quaerit: rex subditorum. Porro respublica non est regis, sed rex est respublicæ*, inquit Claudianus ad Honorium. Respublicæ ergo potius quam sibi servire debet: quemadmodum caput comedit, loquitur, videt, non tam sibi quam toti corpori. Videre id est in Davide, qui ob suum unius peccatum adveniens puniri subditos lue pestifera, conversus ad Dominum exclamavit: *Ego sum qui peccavi, ego inique egi, isti qui oves sunt, quid fecerunt? Vertatur obsecro manus tua contra me.* II. Reg. XXIV. In S. Gregorio Nazianzeno, qui cum ab orientalibus episcopis deposceretur in patriarcham Constantinopolitanum, reclamantibus Ægyptiis episcopis, quo pacem publicam conservaret, cessit electioni suæ, id Jonæ usurpans: *Si propter me orta est hæc tempestas, mitte me in mare, ut vos facturi desinatis.* Audiamus et gentiles. Cum ingens rei frumentariæ penuria esset Romæ, Cnæus Pompeius annonæ procurator in Africam, Siciliam et Sardiniam navigavit, multaque frumenti vi collecta, Romam ire propeperavit. Verum cum ingenti tempestate oborta nautæ detrectarent navigationem, ipse primus navim ingressus, jussit anchoras tolli clamans: *Ut navigemus urget necessitas: ut vivamus, non urget.* Patriæ ergo periclitantis majorem quam propriæ incolumitatis rationem habuit, Plut. in Rom. apoph. Trajanus imperator cum vulneratis militibus fasciæ deessent ad obliganda vulnera, vestem suam conseidit, et in eum finem militibus distribuit, Sabel. I. IV. Alexander Macedo militem senem frigore obstupefactum, ac pene enectum cernens, surrexit de suo solio, quod propinquum igni erat, militemque ei imposuit, unius etiam militis incolumitatem propriæ dignitati præferens, Val. Max. I. V. c. 1. Porro si hæc gentiles, quid facient Christiani?

III. Non consolari solum, sed et suo tempore arguere et punire debet Ecclesia, et qui in ea præsumunt. Audimus enim in hodierno evangelio Spiritum sanctum (qui præses est Ecclesiæ) non solum esse paraclitum et consolatorem, verum etiam censorem, qui vitia redarguit et punit. Judicavit aliquando Hebræos femina quædam prophetissa, nomine Debbora, quæ vox apem significat, indicatque rectorem populi quasi

apem esse debere, quæ non solum mel in ore egerit, sed etiam aculeum a tergo, quo punit. Unde S. Ambrosius, l. V. hexam. c. XXI. ait: *Inter mella fundunt apes venena, si fuerint lacesitæ.* Hujusmodi apis fuit Debbora illa, quæ gestavit mel in ore, quando vaticinata est, quando populum exhortata ad afferendam libertatem suam de manu gentilium, quando carmen victorale cecinit: sed et venenum in hostes fudit, quando exercitum in Sisaram misit, Judic. IV. Debbora talis est Ecclesia, quæ quidem instar apis mel fundit erga obedientes filios suos, consolando remissionibus et indulgentiis, precibus et suffragiis, verbo Dei, pascendo sacramentis, sanctorum communione, concionibus et sacrificiis, etc. At si lacesita fuerit, aculeum etiam profert, et venenum fundit in protervos et pervicaces, arguendo, confundendo, sacramentis et sepultura privando, e cœtu fidelium ejiciendo. Idem hoc notabat pastoralis virga Moysis, quæ dum manu ejus retenta fuit, virga fuit: ubi vero ad Pharaonem abjecta est, in serpentem versa est, Exod. IV. Virga igitur Hebræis utpote morigeris fuit, de qua dicitur Psal. XXII. *Virga tua et baculus tuus ipsa me consolata sunt:* serpens fuit Ægyptiis, utpote contumacibus. Hæ sunt duæ illæ virgæ a Deo assumptæ ad regendos Judæos, quarum unam vocavit *decor*, alteram *funiculum*, Zach. 4. Virga decoris eos rexit, cum per adventum, conciones, miracula Christi eis blanditus est: virga funiculi, quando per Romanos velut incorrigibiles castigavit, et funiculis colligatos vendidit. Thucydides, l. VI. ait: *Magistratus est medicus civitatis.* Ut ergo medicus non solum blandientia adhibet medicamenta, sed cum opus est, etiam secat, scindit, urit; ita magistratus duo esse officia dicebat Agesilaus: (teste Plut. in Lacon). *Erga rebellantes audacia, erga subjectos benevolentia uti.* Non decet magistratum vitia subditorum dissimulare, multo minus facinorosis patrocinari. Docuit hoc assessorum quemdam Thomas Morus jucunda sane strophæ. Etenim Moro in Anglia pro tribunali sedente crumeni-secæ aliquot, et id genus fures producti sunt et accusati. Ibi assessorum unus, vir gravis et senex eos, qui reos illos accusabant, graviter reprehendit, quod in custodiendis nummis et aliis suis rebus negligentes fuissent, atque ita furto occasionem ipsi præbuisent. Hujus importunitate offensus Morus, iudices tum dimisit: sequenti vero nocte unum ex cleptis ad se adduci jussit, et quid fieri vellet, commonstravit, impunitate, si id fecisset, promissa. Sequenti die Morus iterum pro tribunali sedens, primum eum, quocum ante egerat, produci jubet; multorum furtorum accusatus, facilem, ait, sibi fore

purgationem, modo vel ipse iudex, vel assessorum aliquis secreto aures sibi prætere vellet: revelaturum enim aliquid, quod ipsorum omnium interesset. Tum Morus unum ex assessoribus eligendi potestatem fecit. Ille vero seni illi, hesterno suo advocato rem omnem aperturum se dixit. Sic igitur cum illo seorsum abscedens auri nescio quid insusurrat: interim vero marsupium ejus quærit, et inventum aufert. Illo jam ad subsellium reverso, Morus hominem in carcere detineri ait, qui fame pereat, et rogare, uti assessores parva stipe subveniant. Singulis igitur manum ad crumenam admoventibus, senex quoque ille marsupium suum quærit, eoque non invento, vehementer commotus, rem indignam exclamat, crumenam sibi eo ipso in loco, ubi jus dicitur, esse ereptam. Tandem Morus rem omnem exponit, monens, ne posthac tam acerbe reprehendat eos, quibus tale quid contingeret, neve furum et crumeni-secarum susciperet patrocinium.

IV. Inferioribus condescendere debent, qui sunt superiores, debilioribus fortiores. Ita enim Christus in hodierno evangelio ad captum discipulorum se accommodat, nec plura eis imponit disciplinæ onera, quam ferre queant: *Adhuc multa habeo vobis dicere, inquit, sed non potestis portare modo.* Quia, ut ait S. Augustinus, in Psal. XXXVI. c. 1. *Tamquam magister sciebat, et docere quod proderat, et tacere quod oberat.* Hanc ob causam Hebræi, non omnia, quæ in sacris litteris sunt, passim ab omnibus legi patiebantur, ut docet D. Greg. Nazianz. in apologet. teste etiam D. Hieronymo, lib. 1. in Ezech. nisi quis apud Hebræos ætatem sacerdotalis ministerii, id est, tricesimum annum implevisset, nec principia Geneseos, nec Canticum Cantorum, nec Ezechielis exordium et finem legere permittebatur, donec nimirum ad perfectum illarum Scripturarum intellectum adolesceret. Quid mirantur ergo hæretici, si Ecclesia catholica non omnibus passim et sine discrimine concedit legenda s. biblia? Videt enim Ecclesia plerosque esse parvulos, nec pares habere humeros ferendis iis disciplinis, quæ traduntur in bibliis. Atque ita egit apost. qui 1. Cor. III. ait: *Tamquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam,* hoc est, rudiora fidei documenta tradidi, non altiora. Quare condescendat imprimis concionator, et accommodet se captui suorum auditorum, cum infantibus balbutiat, cum sapientibus sapientiam loquatur. Deinde, superior quisque condescendat inferioribus, firmior infirmioribus, ut ne idem onus imponat asino et bovi. quod in veteri lege cautum: *Non arabis in bove simul et asino,* Deut. XXII. hoc est, ut exponit S. Gregorius, l. 1. mor. c. XVI. « Fatuum sapientibus

In prædicatione ne socius, ne per eum qui rem implere non valet, illi qui prævalet obsistas. » Ita Plato duos discipulos suos, Xenocratem tardioris Aristotelem acrioris ingenii conjuncturus: *Huius inquit qui asinum cum equo sociabo? Hic fræno, ille calcari indiget,* Plut. in Plat. Sanctus ille patriarcha Jacob poterat utique pedibus assere frater suum Esau, verum quia secum ducebatur liberos suos, eorum gressui se accommodaturus dicebat fratri: *Præcedat dominus meus ante servum suum: et ego sequar præcursorem vestigia ejus, sicut video parvulos meos posse,* Gen. XXXIII. Ergo cum superior habet subditos pauperes, rudes, pusillanimes, timidos, qui non possunt vel audent petere quod sibi necesse est, vel implorare, etc. ad eos se demittat, eorum miseris condescendat, non supra æquum oneret, nec solum aures det oppresis, sed etiam perquirat eorum pressuras.

V. Veritas in Ecclesia catholica quærenda est, mendacium apud hæreses. Etenim Ecclesiæ suæ promisit Christus in hodierno evangelio *Spiritum veritatis*, eumque misit in pentecoste; suæ, inquam, Ecclesiæ, non alteri. Est autem *Spiritus veritatis*, id est, verissimus (per Hebraismum) quia (ut explicat Dominus) docet omnem veritatem, et nullam admittit vel admisceat falsitatem, quod solent facere hæreses. Unde Psal. I XXXVIII. de Ecclesia Spiritu s. prædicitur: *Thronus ejus (Christi) sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in æternum.* Thronus Christi Ecclesia est, quia in ea residet Christus. Thronus iste luce veritatis integra et immutabili splendet, quemadmodum sol qui totus semper luminosus est: et luna, non qualiscumque sed perfecta, qualis est in plenilunio. Habent etiam hæreses vera quædam dogmata, sed admixta falsis; habent ergo lunam, sed corniculatam et tenebrarum maculis aspersam. De Ecclesia tantum Christi dicitur: *Tota pulchra est amica mea, et macula non est in te,* Cant. IV. Nihil hactenus demonstrare potuerunt hæretici, quod rationi aut S. Scripturæ contrarium, adeoque falsum esset in catholica fide. Ecclesia etiam a suis decretis et dogmatibus nunquam discessit, nunquam ea mutavit. Cæteri omnes in contrarias sententias sæpe abierunt, et modo hoc crediderunt, modo non crediderunt: uti patet de Augustana confessione toties mutata ab eis, qui eam cuderunt. Veteres depinxerunt veritatem quadrato insistentem lapidi, ad ejus firmitatem ostendendam; mendacium vero rotundo, ob ejus instabilitatem. Veritas catholica quadrato super lapide fundata est, super rotundo hæretica. Hinc etiam illud provenit; ut catholici mendacia longe magis aversentur, quam hæretici, quibus mentiri communissimum et promp-

tissimum; quia et mendacia modo non sint noxia, communiter pro peccatis non habent; cum e contra Ecclesia catholica constanter doceat omne mendacium esse peccatum. Hinc et istud, ut pro asserenda catholica veritate tot milleni martyres sanguinem profunderent. Unde S. Aug. ep. IX. ait: « Incomparabiliter pulchrior est veritas Christianorum, quam Helena Græcorum. Pro ista enim fortius martyres nostri, adversus hanc Sodomam, quam pro illa mille heroes adversus Trojam dimicaverunt. » Depromant etiam hæretici suos martyres, qui pro suis dogmatibus asserendis vitam posuerunt. Quam paucos numerabunt, si facinorosos ex iis demas!

VI. In Ecclesia catholica est spiritus prophetiæ, nequaquam in synagogis hæreticorum. Audimus enim in hodierno evangelio spiritum prophetiæ, Ecclesiæ promissum: *Et quæ futura sunt annuntiabit vobis.* Hunc vero in Ecclesia nostra semper inventum esse, non difficile ostendit potest. Quamquam supervacaneum existimo id de prioribus sæculis ostendere, cum luce clarius sit, solum igitur recentiora aliqua testimonia afferemus. Anno 1583. obiit Aloys. Bertr. Valentianus ordinis S. Dominici. Hic plurima prædixit, quæ omnia eventus vera fuisse ostendit. « Inter alia cuidam nobili prænuntiavit fore, ut ex ejus filiis tres societati Jesu se adjungerent, unus uxorem duceret. Hoc erat in voluntate positum, et nemo poterat id videre, nisi solus Deus. Pastori cuidam quicquid habebat in animo, detexit: uxori cujusdam a quo male habebatur, virum brevi fore illi placatissimum, ipsam tamen paulo post morituram: mulieri, quæ confitebatur, neque animo poterat omnia quædam scelera repetere, ostendit quænam cogitasset adversus Dei legem, quæ nemo poterat scire, cum nunquam excidissent ex ore ipsius. Deridebat Aloysium quidam, et de illo detrahebat, quod ausus esset ipsi edicere, ne Valentia decederet, et Italiam appelleret, alioquin malo exitu vitam conclusurum; deridebat, ille sed exitus rem comprobavit. Inciderat alicui mala de Aloysio suspicio, nemini tamen evulgarat, accitum monet his Aloysius: Fallaris, qui de me id cogites; remque ut erat aperuit. Alii significavit in multas ærumnas casurum. Inviserunt eum tres: accitos sic est allocutus: Video arborem, cui tres rami; quorum primus sterilis erat, præcidetur, et in augusto loco reponetur: fructum secundus feret, sed acerbum; ideo amputabitur, et videor mihi eum videre in sepulcro: tertius edet fructus suaves, et conservabitur. Edixit deinde iis, ne cui hæc detegerent. Ut dixit accidit. Primus impos mentis effectus in vincula est conjectus.

Secundus religionem professus, haud multum religionis speciem dedit, et brevi vita decessit. Tertius diu ac sancte vixit. Jacebat ægrotus Franciscus Borgia, medici vitam desperarant: Aloysius, prædixit fore, ut paulo post convalesceret, ac videret duos e filiis qui uxorem ducerent: ideo suam in Deo spem poneret. » Atque hæc quidem de Aloysio Boz. t. 4, de sig. Eccl. sig. X. Græcis ob dissensionem et discessionem a Rom. pontifice, et ob superbiam patriarcharum Constant. aliquot, qui sibi nomen œcumenici arrogare ausi sunt, excidium prædixere Leo M. Gregorius M. speciatim Nicolaus V. Græcis universale quoddam decretum respuentibus inter alia sic scribit, (ut refert Gennadius patriarcha Const.) « Sed toleramus in Jesum respicientes sempiternum sacerdotem et Dominum, qui sterilem illam sicut usque ad annum tertium jussit asservari, agricola jam ad excidendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatis ruinam: anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo hanc conscripsit epistolam: et millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio capta est Constantinopolis. Nam potestis dicere hæc vera non esse? Minime gentium: cum id sit manifestum et res ipsa aperte loquatur. Tres inquit annos expectabimus, si vos forte a schismate et separatione converteritis, et vos vere decreto adjunxeritis, secundum Salvatoris defici præceptum. Sin minus, excindemini ne terram otiosam et inutilem reddatis. Hoc miraculum miraculum maximum, quod ut in epistola ipsa scribit Nicolaus papa, Græcorum gens illa magna et formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina, ob divinam ultionem ita in barbarorum servitutem abducta est. Hæc narranti mihi subit lamentari, et deplorare excidium gentis nostræ. » Anno 1595. obiit Romæ S. Philippus Nerius qui quam plurimos eventus aliis prædixit, ut refert Antonius Gallonius, in ejus vita. Coævus Philippo vixit Romæ S. Ignatius et ipse prophetiæ spiritu illustris, ut in ejus vita videre est. B. Franciscus Xaverius plurima sæpe in publicis concionibus populo præsignificavit. Quid memorem alios ex ejusdem Ignatii societate, uti cardinalem Bellarminum, Petrum Canisium, etc. eodem dono præditos? Id enim attestantur eorum acta typi vulgata. Taceo alios quos recenset Thomas Bozius. l. VI. de fig. Eccl. fig. XIX. Alexandrum Capocchum Florentinum ex ordine S. Dominici; Antoniam, mulierem Romanam sanctitate præstantem; Catharinam Raconisiam; Margaritam Reyennatem, etc. quorum vaticinia longum nimis foret referre. Unicum id audiamus, quod in Germania nostra virgo sanctissima Hildegardis edidit prævi-

deas hæreses in ea oriturus opera Lutheri et Calvini, uti refert Thaulerus. « Ah! misera Ecclesia quid ages? Mille hæreses in te exorientur, quibus resistere vix poteris. Edes tuæ sacræ, atque acro ipsa tuam sacra profanabuntur: principes contra te insurgent, populi contra te arma capient, omniaque in ruinam tuam conspirabunt. Quum primi illi homines luxui et voluptatibus sese dedissent, Deus aquarum eluvionibus universam terram submersit: et quia ultimi sæculi homines incredulitate, et quovis opinionum vento abripi se patientur, Deus Ecclesiam ab eis auferet. » Rursum: « In tantam homines fluctuationem atque errorem præcipites ibunt, ut cuinam cœu catholicæ veritatis assertori credere tuto possint, atque confidere, prorsus sint ignoraturi. » Item: « Exurget enim vox fallax, quæ omnes hinc paternæ voci (Christi et Ecclesiæ) auscultare nolentes in errorem abducat. Sonat autem nobis paternæ voci per vocem s. matris Ecclesiæ in omnibus doctrinis, præceptis atque consiliis illius. Væ proinde atque iterum væ omnibus voci huic obtemperare nolentibus, ut seipsos in veritate parvi pendant, et studeant esse humiles: his enim temerariæ desperationis vox inspirabitur, dicentibus pseudodoctoribus falsum esse, atque confictum quidquid unquam præcæ veritatis doctores hic docuere. » Hæc an per Lutheri hæresin Germaniæ contingerint, satis experti sumus.

Nos ergo, auditores, in ea perseveremus Ecclesia quæ et veritatem inviolabilem, et spiritum prophetiæ habet, nec alia nisi catholica est.

CONCIO IX.

MYSTERIA.

I. An apostoli interrogarint: Quo vadis? — II. Cur expediat Christum discedere? — III. Cur non debebat mitti Spiritum sanctum Christo in terris degente? — IV. Quomodo Spiritus sanctus arguit mundum de peccato, de justitia, de judicio? — V. Cur apostoli tunc non poterant omnia portare? — VI. Paraclitus cur vocatur Spiritus veritatis? — VII. Quomodo Spiritus sanctus docuit omnia, quando, quos? — VIII. Quomodo Spiritus sanctus non loquitur a seipso?

THEMA.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet et annuntiabit vobis, Joan. XVI.

Pleraque evangelia, auditores, quæ hoc paschali tempore leguntur, desumpta sunt ex præclaro et prolixo illo Domini sermone, quem habuit ad apostolos peracta ultima cena, et describit nobis Joannes, c. XIV. XV. XVI. XVII. Unde imprimis miretur aliquis, quomodo Joan-

nes tam longum tamque succosum ac sententiosum sermonem de verbo ad verbum referre et scribere potuerit. Deinde, cur Ecclesia sermonem illum cenæ, per tot evangelia repetat tempore hoc paschali? Hæc dubia nobis resolvit hodiernum evangelium, cum ait de Spiritu sancto Dominus: *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis*, ergo imprimis Spiritus sanctus est, qui præclarum illum sermonem ita suggestit Joanni, ut eum memoria retinere, et exacte scribere ad instructionem nostram posset, uti paulo ante Joan. XIV. dixerat Dominus: *Suggestet vobis omnia quaecumque dixero vobis* (Græce, *in memoriam reducet vobis omnia quaecumque dixit vobis*). Absque inspiratore illo nulli evangelistæ possibile fuisset, concionem illam repetere tam exacte et sincere. Deinde, quia Spiritus sanctus clarificare solet Christum, suggestit etiam Ecclesiæ ut hunc Domini sermonem, qui gloriam Christi Domini mire amplificat, sedulo ruminaret et inculcasset filiis suis. Nos ergo velut munda animalia ruminemus isto tempore, quæ Salvator noster in ultima sua cena manducanda nobis apposuit.

I. Quomodo apostoli non interrogarunt Dominum: *Quo vadis?* cum id Petrus paulo ante sub eadem cenâ fecerit, dicens: *Domine, quo vadis?* Joan. XIII. et Thomas cap. XIV. quasi interrogando: *Domine, nescimus quo vadis*, resp. istos quidem hoc proposuisse; sed eum respondisset Dominus: *Quo ego vado vos non potestis venire*, debebant rursus querere: *Quo ergo vadis, Domine?* Quod tamen non fecerunt. Deinde, priori interrogatione videntur tantum inquisisse terminum viæ, non ipsam viam et mirandos saltus, uti vocat S. Gregorius, homi. XXIX. in evang. quibus ad Patrem iturus erat Christus: ascendendo videlicet in crucem, inde descendendo in sepulchrum, hinc rursus exsiliendo in terram, indeque ad cœlum. Hos saltus edituram hominum nesciverant vel saltem persuadere sibi non poterant apostoli, unde nec interrogarunt de hoc miro itinere. Via de qua, c. XIV. dixit: *Et quo ego vado scitis, et viam scitis*, alia via est, Christus videlicet, ut exponit ipsemet: non passio et mors illius. Videtur ergo dicere Dominus: *Audistis me ad Patrem ire, non tamen interrogatis, quia via et quibus mediis vestra oporteat ire;* cum tamen plurimum vestra intersit, ut per crucem, mortem, resurrectionem et ascensionem ad eum pergam. Petrus suam interrogationem ideo formarat, ut posset sequi Dominum. Hoc vero cum fieri non posse intellexit debebat ulterius inquirere: *Quo ergo vadis, Domine? Qua via, quibus passibus ad Patrem ire paras, ut sequi te non possim?* Hæc eadem sunt, quæ nos sedulo expen-

dere decet. Primum, qua ratione Christus et sibi et nobis omnibus gloriam pararit; per stupendos scilicet saltus, ut ita ei grati simus, nec pigeat nos quadamtenus ipsum imitari. Exigui saltus sunt si de opibus ad inopiam, de fama ad ignominiam, de sanitate ad ægitudinem, de dignitate ad contemptum forte saliamus. Majores saltus edidit Dominus: unde in Canticis dicitur: *Saliens in montibus et transiliens colles*. Secundum, qua ratione nos Christum imitemur. Plurimi nostrum ad finem tantum æternæ beatitudinis attendimus, media vero non curamus, uti filii Zebedæi, qui regnanti Christo assidere cupiebant, de passionis calice prius ebibendo nihil cogitabant. Ergo non ad finem tantum, quo tendimus, sed ad viam quoque et media sedulo attendamus, et primo ad mortem, ad tribulationes et passiones, quomodo eas superemus; deinde, ad spiritualem nostram resurrectionem, quomodo per veram et sinceram pœnitentiam de peccatis resurgamus ad gratiam et vitæ novitatem. Denique, ad ascensionem quoque, qua ratione post justificationem proficiamus semper in bono et progrediamur de virtute in virtutem. Ita seipsum crebro interrogabat Arsenius eremita: *Arseni, propter quod existis?* De sæculo scilicet ad eremum. Et S. Bernardus in suo monasterio: *Bernarde, ad quid venisti?*

II. Cur expediebat Christum recedere a discipulis per ascensionem? Resp. primo, quia cum prius existimarent regnum Christi fore temporale (ut indicant duo illi discipuli euntes in Emmaus) ex hoc discessu didicerunt, fore spirituale, temporali multo sublimius: quo hic in hominum animis regnaret per gratiam, ibi per gloriam. Secundo, ut discipulorum amorem purgaret et fidem perficeret. Hi enim dum præsentem cernebant Christi humanitatem, ei soli inhærebant ob præclarissimas virtutes in ea resplendentes; cum inde ad divinitatem ejus transire debuissent eique potissimum inhære. Fides etiam illorum, quamdiu illis aderat Dominus, tanti esse meriti non poterat, quam si ab eis tolleretur. Tertio, expediebat toti mundo Christum non in terris, sed in cœlo degere, ut sciremus ipsum esse cœli et terræ Dominum. Patri considerare in gloria, et inde velut e celsissimo throno contemplari et gubernare mundum: nobis vero adesse per venerabilem eucharistiam; quod sufficere nobis debet. Quarto, quia, ut subdit Dominus, alioquin Spiritus sanctus in terram missus non esset: *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos*, qua de re mox

III. Cur non congruebat mitti Spiritum sanctum Christo adhuc in terris degente? Resp.